Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 555
Quelle:
Copyright:

manu tamen συγχρονῳ, adſcriptam habent. Tituli ſatis cum Editis congruunt, neque abludit lectio ita, ut Edita inde perfici poſſent. *Hymno* I. legitur quidem *Lectulos aegros ſopore deſides*; ego vero vellem, ut pro *ſoporos* repoſitum eſt *ſopore*, ita pro *aegros* reponi *aegro*. *Hymno* II. pro *Lapſante claudus poplite*, Noſter habet *Laxante*; item *Tandem fatiſcat cecitas* pro *faceſſat*, et ſimilia leviora.

Fol. 28. p. 2. *Incipit Liber Secundus* ΠΕΡΙΣΤΕΦΑΝΩΝ. *Ymnus* (in Paſſionem *Emeterii* et *Chelidonii* Martyrum, haec extrita aevo) *Calagurritanorum*. Initium: *Scribta ſunt cælo duorum Martyrum vocabula* &c. Ut Edit. *Parm.* p. 103. Abeſt igitur hinc *Praefatio*, quam illa p. 99. praemittit, et *Hymni* XIV. alio decurrunt Ordine, videlicet hoc:

1. Edit.	1. Cod.	8. Edit.	13. Cod.
2. —	3.	9. —	12.
3. —	9.	10. —	14.
4. —	7.	11. —	4.
5. —	2.	12. —	6.
6. —	10.	13. —	5.
7. —	11.	14. —	8.

His adde in Codice II. illos *Hymnos*, quos huc repoſitos dixi ſuperius. Tituli omnes in Codice miniati inchoant: *Incipit Paſſio* &c. E collatione *Hymni* I. liquet, non defuturum ſpicilegium, ſi quis ſingulos cum Edit. *Parm.* contendere voluerit, nam v. 14. Codex melius *Laetus*, quam *Latus*. V. 46. ubi Edita *bacis*, recte docemur, dici etiam *bagis*, *bogis*, *bojis* pro *vinculis*. V. 64. pro *abſiſtite* cum noſtro reſtituendum videtur *aſſiſtite*, *auferte* &c. V. 98. Malo cum noſtro *lupino rictu*, quam *ritu*. *Paſſio S. Agnetis* nobis *fol.* 59. p. 2. duo παρεργα habet: 1) *Verſus Conſtantine Conſtancie* (Conſtantini) *Filie Scripti In Abſidæ* (ſic) *Baſilicę Quam Condidit In honore Sancte Agnetis*. Sunt Ακροστιχοι 14. quorum initiales literae conficiunt: CONSTANTINA DEO. Leguntur apud *Bollandiſtas* T. III. *Febr.* p. 70. poſt plures alios, et in *PP. Bibliothecis* inter *Carmina Damaſi*, v. g. in *Lugdun.* T. XXVII. p. 82. et ineunt:

Conſtantina Deum uenerans Chriſtoque dicata &c.

ubi verſum ἀλογον

Nomen adhuc referens et corpus et omnia membra,

ſic